

Ye

3654





GENEROSVM
DOMINVM
IOANNEM
HECTOREM
DE STALBURG,

Patricium NOBILEM FRANCOVRTANVM,

Peregrinationis causa ab Academia
 nostrate discessurum,

honore votisque profecutus est

L. M. Q.

C. S. SCHVRZFEISCHIVS.



Vitembergae Saxonum,

Ex Officina CHRISTIANI KREVSIGII, ACAD. TYPOGR.





Quoniam nobiles cuiusque familiae originem repeto, et antiqui generis splendorem contemlor, nihil vel ad patriae existimationem aptius, vel ad posteritatis memoriam iucundius, vel ad utilitatem efficacius, vel ad laetiam opportunius literis mandari posse confido. Praeterea haec res dignitatis plena est, et publicae laudis partem attingit, maiorumque ornamenta in conspectu omnium ponit, ut quo quisque loco natus, quibusque maioribus ortus fuerit, ubi adoleverit et vixerit, quae pro salute patriae gesserit, non magis uniaetati, quam posteris notum sit atque testatum. Quae res ut ampla, sic ad gratulandam percommoda est, et in tuas maiorumque laudes intuenti, magnam scribendi materiam praebet, et in summa rerum expectatione, singularem fiduciam affert, sed audaciae, quae sine consilio est, scribentem absolvit. Idcirco silentium vetat admiratio virtutum STALBURGIANARVM, quae non in vulgari et obscuro quodam municipio, sed in vrbe, totius Germaniae principe, et prima regni Germanici sede, ita floruerunt, ut in memoria altius haereant, et literis, sermonibus ac monumentis passim celebrentur, maxime ob fidem et vigilantiam, quam in toga ac praetexta, in praetura et consulatu vrbis summa constantia et fortitudine proceres STALBURGII comprobarunt. Haec vero insignia non speciem gloriae habent, neque inania sunt, sed maximis in rempublicam meritis parantur, praemiaque sunt summae virtutis, in illa praesertim libertatis luce ac sede, quae magistra est consilii, et recti moris. Nam omni temporum statu, etiam bellis civilibus perturbato, senatus auctoritas eorum ope stetit et servata est, legumque sanctitas quasi domicilium collocavit, cum STALBURGII, sive rerum factorumque principes essent, sive socios se adiutoresque praeberent. Ignaviae est, negligere periculum: imprudentiae, aut potius stultitiae est, nihil metuere, neque animum advertere ad
ea,

ea, quae imminent, rei quae publicae impendent. Non id
usum venit maioribus tuis, quod illis, qui soluti curis, et o-
pere vacui, in rerum ignoratione versantur, et nesciunt,
qualis quantumque senator sit, qui fortunam reipublicae in
consilio habet. Hoc enim saepe et diligenter reputarunt,
suisque et idoneis ponderibus examinarunt illustres fami-
liae tuae conditores, qui in praetorio et consulari impe-
rio, gentilitium decus tenuerunt, et mori potius, quam a
fide et officio discedere voluerunt. Quare ab Imperato-
ribus et Regibus ornati euectique, ad dignitatem patriae,
atque ad amplitudinem augustae urbis, omnia consilia
retulerunt, atque in eam cogitationem ingressi, rempu-
blicam e periculo ereptam, nihilo magis pace, quam amo-
re civium tutati, ratione, consilio, sapientiaque admirabi-
li, dignas nomine suo partes obierunt: erecti semper, et
longa seculorum serie, in altissimo honoris gradu collo-
cati, certe in antiqua natalium dignitate semper confir-
mati. Quibus rebus factum est, ut Divi, et divinitus dati
Principes gentem STALBURGIAM diligenter, eique
testimonium laudis impertiendum existimarent. Nihil
dicam de Maximiliano I. et Carolo V. Augustis, quorum
temporibus STALBURGII in gerenda republica, velu-
ti lumine accenso, praeluxerunt, nec minus urbi, quam
communi patriae usu rerum, et maturitate consiliorum
profuerunt. Ex hac familia domoque, tot tantisque rebus
nobilissima, exierunt Civitatis principes, et ad tractan-
dam feliciter rempublicam accesserunt CLAVS, CHRIS-
TOPHORVS, HIERONYMVS, DANIEL, quos De-
us excivit, atque in lucem eduxit, quosque natura eximia
ad laudem formavit, educatio adiuvit, disciplina erexit,
peregrinatio expolivit, usus denique confirmavit. Sidus
perfecto illud urbi faustum illuxit, et providentiae omnia
regentis opus extitit, quod arcem quandam salutis publi-
cae in genere tuo, constituit feliciter et collocavit, quam
tot maiorum praesidiis communitam, et magna inclyti
Patris auctoritate fultam, pari constantiae exemplo cor-
roborabis, et in ea ornanda omnem vim ingenii ac virtu-
tis

tis tuae ostendes. Etenim vulgares et pervagatae res ad te non pertinent, nec de inutilibus et ineptis, quae tempus fallunt, laboras, et noxias, quae mores corrumpunt, ut vitae et bonae existimationis pestes odisti. Haec est illa indoles tua, quam exploratam habent patres, illi maxime, qui sacrorum interpretes, et iuris sacerdotes sunt, quibus cara existimatio tua, et vitae consuetudo iucunda, et tota studiorum ratio summopere commendata erat. In historia civili, doctrinaque selecta viam non vulgo tritam, sed illustribus duntaxat ingeniis patefactam ingressus es, et populari iudicio haud contentus, literas, in quibus nitor et cultus inest, et philosophiam, quae ab inani- bus rerum cupiditatibus homines avocat, ac de moribus et republica inscribitur, summa cum utilitate excoluisti. Nullus dies tibi otiosus abiit, nec palaestra tempus studiis necessarium eripuit, quod perpauci faciunt, et plurimis difficilimum videtur. Illud quotidie me videre memini, et ideo semel iterumque in memoriam revoco, quod mihi patribusque, in docendi cura, et rerum utilium meditatione defixis, plenum quoque gravitatis et sanctimoniae animum attulisti, et gestu, moribus, vultu levitatem averfatus, modestiam in primis et verecundiam ad doctrinae studia adiunxisti. Locupletissimi testes adsunt, et coetus noster his vocibus personat, neque ullus, quem quidem eruditi habitant, urbis huius angulus est, in quo non acclamationes et plausus felicitis tui discessus causa exaudiantur. Iungunt se, et perinde gratulantur haud obscuri honoris tui suffragatores, inter quos ut magnus est amicorum tuorum numerus, sic frater meus eorum nemini fide in te, et observantia in familiam concedit, tua quippe et aequalium tuorum iuvenum utilitate adductus. ut superiore anno, arduas et difficiles historiae Germanicae, quae capita et fontes iuris publici continet, controversias, ab ipsis rerum factorumque principiis et causis repetitas, copiose explicaret. Haud secus mihi frequens, et familiaris congressus tuus fuit in deliciis, cum propter celeritatem animi expeditam et incredibilem, tum propter vim iudicii valde exquisitam et singularem. Utroque enim modo anteibas ceteros, et quaerendo, sermones doctissimos facile eliciebas: audiendo, rationes et sententias ad vitam utilissimas, mira quadam solertia et attentione percipiebas, ut vel his non langventis industriae signis indicares, qualis, confecto studiorum cursu, evasurus esses. Sic omnes prope difficultates superatae iam et sublatae sunt: tantum svavis in peregrinatione labor restat, quem omnes, qui prudentiae student, iucunde perferunt, et vias, sine ulla remorandi causa, persequuntur. Hoc facis, et usu probas, paternaque et avita vestigia, in illa ipsa divinis auspiciis ad Moenum condita, et conservata urbe imitaris, existimans, tales fore civitates, quales futuri sunt, qui eas regunt, neque animo suo indulgent, et in maximis temporum difficultatibus, ne minima quidem regendi molestia afficiuntur. Ex Museo ipsis Kalendis Ianuariis

Anno recuperatae salutis clō lccc.

Handwritten text in a Gothic script, likely a list or index, located at the top of the page.

Handwritten text in a Gothic script, possibly a title or a section header, located in the upper middle part of the page.

Main body of handwritten text in a Gothic script, consisting of several lines of text.



Pon Ye 3654

2^o

ULB Halle 3
001 500 791




sb

V.17

901.0





GENEROSVM
 DOMINVM
IOANNEM
HECTOR
 DE STALBVM

Patricium NOBILEM FRANC

Peregrinationis causa a
 nostrate discessurum

honore votisque profectu

L. M. Q.

C. S. SCHVRZFLEIS



Vitembergae Saxonum

Ex Officina CHRISTIANI KREVSIGII, AC

